

Q. D. B. V.
DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
ENTERATIONIS

QUAM
OPE ET FAVORE DIVINO ADSPIRANTE
In Celeberrima LEUCOREA

SUB PRÆSIDIO
PRÆEXIMII juxta ac PRÆCLARISSIMI
VIRI
DN. M. JOHAN. MICHAELIS
STRAUSEN /
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
ADJUNCTI
PRÆCEPTORIS ac FAUTORIS SUI æternum
de venerandi

Publico Eruditorum Examine ventilanda
proponit

MICHAEL CHRISTIANUS Dalichau /

Witteb. Saxo Autor

In Auditorio Majori horis antemeridianis

Ad D. 19. Aprilis Anno 1662.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Haken.

~~1662~~ a. CXVIII. 16.

Coll. diss. A
18, 16

G. D. R. V.
DISTINCTIO PHYSICA

ENFERIAS

OPUS

PER
T. R. W. M. A. P. R. E. C. A. M. P. T. R. O. S. I. M. E.



DR. M. J. JOHANN MICHAELIS

FACULTATIS PHILOSOPHICAE

RECTORIS

Publico Inductorum Rationum venturorum

MICHAEL CHRISTIANUS

In

ADD. 10. Aprilis Anno 1602

WITTEBERG

110



IN NOMINE JESU!

Qvæst. I.

An detur Ens rationis?



Ignata est hæc qvæstio & cum primis necessaria, ut paulo accuratius explicetur, præcipue, cū nō olim rātūm de ea disputatum sit & in partes itum, sed nec hodie qvidem inter omnes usq; adeo conveniat, qvin vel tota qvæstio vel magna saltem ejus pars negetur. Si attendantur ea, qvæ Scholastici hac de re docent, videbimus multos quasi conspiratione facta à reliquis dissentire, & pro negativa sententia pugnare, adeo qvidem, ut non tam pro Helena certatum credam à Græcis, quam ab his pro eliminatione Entium rationis ex agro Philosophico. Nominales, Gabriel, Jandunus, Picus Mirandulanus, quem teste Murcia de Liana disputatione secunda Logices de Universalibus qvæst. 1. sequitur Valesius, omnino negant dari Entia rationis. Qvam opinionem etiam penes Maironium, & Bernardinum Mirandulanum viguisse Svarez notat, disput. Metaphysices 54 Sect. 1. num. 2. Ubi tamen de Maironio monet, eum Entia rationis rejicere differendi magis gratia, quam asserendi. Qvicquid tamen hujus rei sit, plane rejecta est hæc opinio è Scholis, & contraria sententia, qvòd nimirum dentur Entia rationis, communis Scholasticorum fuit, adeo ut Hurtadus de Mendoza delirare eos pronunciet, qui negant dari Entia rationis, tam clarum enim esse putat, dari Entia rationis, quam apertum eos fuisse deceptos. Ut ut vero hæc opinio adeo communiter hæctenus reprobata fuerit, seculum tamen nostrum, qvòd nescio qvo fato ita comparatum est, ut nihil fere unquam tam absurdum ab aliquo assertum fuerit,

A 2 qvòd

quod non suum hic inveniat defensorem, etiam huic obsoleto errori novos dedit Patronos. Quam acerrimè contra universa Entia rationis Johannes Caramuel à Lobkowitz Metalog. lib. 2. Princip. 3. pugnarit, omnibus notum exploratumque esse puto, sed an feliciter, Viri docti judicent. Ex cæteris sane Scholæ Pontificiæ Doctoribus Caramuelis opinio non invenit multos defensores, rejecerunt eum potius in scriptis Philosophicis. Quid enim tam temerarium tamque indignum Sapientis gravitate atque constantia (vult enim hic inter maximos Viros Societatis Jesu numerari) quam aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptum sit & cognitum, sine ulla dubitatione defendere. Qui modestiores videri volunt, atque Entia rationis dari concedunt, tanta sunt in varietate ac dissensione constituti, ut eorum molestum sit enumerare sententias. Alii volunt non posse efficaciter persuaderi, & satis probabilem Vallesii sententiam opinantur: Alii contra ita ea dari volunt, [inter quos à Comtonio numerantur Bannes, Molina & alii, (ut etiam ante operationem intellectus consistant. Verum de prioribus rectè Rodericus de Arriaga Disputat. 6. Metaphysic. sectione 2. pronunciat, vel non posse esse dissidium ullam explicatis terminis, vel si sit aperte rejici Vallesii sententiam: De posterioribus benè negat Comtonius, cum Ens rationis præcisè sit id, quod esse suum tantum habet ab intellectu. Nos ut eo melius procedamus, I. monemus, tripliciter aliquid dici esse in intellectu, uno modo (i) *subjectivè*, & sic illi insunt ea, quæ in ipso sunt, sicut accidentia in subjecto (ii) *effectivè* sicut effectus in causa, quomodo ea, quæ per intellectum efficiuntur, ipsi inesse dicuntur. (iii) *objectivè*, quod nimirum est ejus objectum: ubi probe notandum, ea, quæ sunt in intellectu *objectivè*, in duplici esse differentia: Quædam enim habent esse in se, h. est, citra hoc quod cognoscuntur, & ista sunt Entia realia; quædam verò habent solum esse *objectivè* in intellectu, id est, præter hoc quod cognoscuntur, nullum habent esse, nisi quod ei fictio nostri intellectus tribuit, & hoc ultimo modo *impresentialium* sumitur. II. Non controversatur, an dentur Entia rationis à parte rei, aut an possint sic dari, omnes enim id debent negare, quia alias non essent Entia rationis

onis

onis, ut hic accipimus Entia rationis; Sed sensus est, an admitti debeant tales conceptus objectorum, quæ cum non habeant τὸ esse reale actuale extra intellectum, sic tamen concipiantur, ac si tale esse haberent, & affirmamus. III. Not. intellectū nostrum dupliciter posse unire quæpiam intentionaliter I. non quasi affirmet aut cognoscat & apprehendat illorum unionem, sed tantum quod in se actus intellectus sit adeo confusus, ut non distingvat illa duo, & sic uniat, quæ distincta sunt, hæc ratione particularia in universalib. intellectus noster unit, & hominē & equum in animali, & hic actus intellectus non dicitur facere Ens rationis, siquidem non est falsus de rebus veris, sed tantum confusus. II. ut revera apprehendat, affirmet & cognoscat illorum unionem expressè, quæ revera unita non sunt aut uniri non possunt, & hic actus intellectus est falsus, & facit Ens rationis. His præsuppositis, probamus Ens dari, quod in se quidem & ante operationem mentis nihil est, est tamen & esse aliquid obtinet, quando & quæ ab intellectu apprehenditur. Qui negat dari Ens rationis, aut cognoscit quod negat, aut nescit, posterius si dicat, ridiculum se præbet, quia id quod ignorat, negat, prius v. si dicat, ex ipsius propria sententia sequitur dari Ens rationis, quia n. cognoscit Ens rationis, jam eo ipso fatetur dari Ens rationis, cuius esse actuale *tantum consistit in τὸ esse formato*. Plurib. videatur Svarez Disput. 54. sect. i. num. 8. qui ex Thoma tripliciter probat I. ex imperfectione quorundam cognoscibilium II. ex imperfectione nostri intellectus & III. ex fecunditate nostri intellectus. Nostrum non est impræsentiarum singulas singulorum Auctorum probationes adducere. Ad objectionem, quam desumunt ex Aristot. quod non est, non scitur, scitè respondet Mendoza, non sciri esse, quia esset actus falsus, at scitur non esse. Unde Chimæra non est cognoscibilis, sed cognoscibilis non esse.

Quæstio II.

An Entia lingvæ in Entium rationis locum surroganda sint?

A 3

Fluit

FLuit hæc controversia ex præcedenti, diximus n. in ea Caramuelem à Lobkowiz contra universa Entia rationis pugnare, eaque penitus rejicere. Hinc etiam omnem movere lapidem, ut ea, quæ reliqui Scholastici magno molimine exstruxerunt, oppugnet & destruat, ut adeo lusum potius ingenio præbere, quam serio rem agere videatur. Ita enim fieri solet cum subtilitate magis, quam verâ ac solidâ eruditione instructi ad controversias pertractandas accedunt, ut pleriq; aliorum inventa interpolare, iisque nova quædam placita substituere malint, quàm rectè inventis uti, donec tandem contentione sectarum discordantium multa intricentur magis, quàm evolvantur, ac curiosa nimiaque subtilitate pleraque suffocentur. Illa itaque, quæ nos vocamus Entia rationis, citatus Caramuel vel dicit Entia realia, vel Entia lingvæ, & hæc posteriora in locum Entium rationis substituit. Vocat a. Entia lingvæ, quia lingua est quasi vicaria mentis, imò plus quàm vicaria mentis, ut possimus plura attingere lingvâ nostrâ, quæ concipere nullo modo possumus. Exinde jam Entia lingvæ fingit, quæ ipsi nihil aliud sunt, quàm propositiones impossibiles. Inquit n., non possum mortalitatem de Deo, irrationalitatem de homine concipere, quæ omnia tamen lingvâ proferre possum: Tandem distribuit hæc Entia lingvæ juxta tres mentis operationes. Nos ne hic impingamus, statum controversiæ ante omnia rectè formari, operæ pretium existimamus, observantes (I) non quæri, annon dentur Entia aliqua lingvæ, nec quæri, annon Entia rationis exprimantur quandoque per Entia lingvæ, nec de eo, annon dentur quædam, quæ lingua proferri possunt, mente tamen attingi nequeunt: Sed an Entia rationis omnia, quæ vulgo sic vocantur, nihil aliud sint, quam Entia illa lingvæ, quæ à Caramuele introducuntur. (II) non quæri præcisè de possibilitate alicujus Entis rationis existendi realiter extra intellectum, d. de possibilitate quocunq; modo existendi. His notatis, dicimus, quod Entia lingvæ non sint in solidum substituenda in Entium rationis locum, d. potius dantur omnino quædam Entia rationis ab Entibus lingvæ distincta, non tamen negamus, dari voces quasdam Chimericas seu Entia Lingvæ. Prius membrum probamus, quia illa, quæ nos vocamus Entia rationis, formaliter sunt in intellectu nostro, cui ob-

jecti-

jectivè representantur, nec dependent in suo esse à lingua, quia nisi haberemus in intellectu, nihil certi de illis vel negare vel affirmare possemus. (II) Accidit tantum Entibus rationis, ut lingua proferantur. Nam potest aliquid esse Ens rationis in intellectu, etiamsi lingua non sit prolatum. Accidens autem, ut habet canon, non mutat Essentiam scilicet substantialiter, imprimis si rei subjectæ non contrariatur. Posterius patere putamus ex vocibus nihil significantibus quales sunt Blictri, Spintax, Adymax & similes.

Qvæst. III.

Quid sit Ens rationis?

EX superioribus satis de hoc dictum videri queat, & proinde ex iis cognosci posse, quid pro Ente rationis habendum sit, quid non sit, cum tamen multa supersint, quæ illic commodè inferri non potuerunt, operæ pretium fieri putamus, si addantur, quæ adhuc desiderari possunt. Thomistæ opinantur, Ens rationis esse denominationem extrinsecam, quâ res cognita denominatur ab actu intellectus, secundum aliquam proprietatem seu conditionem convenientem rei, quatenus cognita est. Circa hanc opinionem caute procedendum esse monet Arriaga, si enim quis cum Thomistis congregari vellet, attendendum ei esse, in qua significatione Adversarii accipiant Ens rationis aliàs fore, ut, cum putet se de re disputare, solo de nomine egisse experiat, quod etiam contingere asserit recentioribus nonnullis, qui multa argumenta contra Thomistas congerunt, ab iis tamen facile se expedire Adversarios, sumendo Ens rationis in diversa significatione, quam ab his recentioribus accipiatur. Slevogt contra miratur, cur solus Arriaga ignorantiam simulet, quomodo Thomistæ termino hoc utantur, aperte enim docent, denominationem cogniti ex parte objecti non esse aliquid reale, d. duntaxat aliquid rationis, quod ex acerrimo eorum propugnatore Johanne Sanchietz demonstrat. Nos argumentamur contra Thomistarum sententiam hunc in modum: Denominatio cognoscentis est Ens rei non rationis, E. etiam denomi-

nomi-

nominatione cogniti est Ens rei non rationis. Consequentia probatur: Sub qua ratione formali intellectus cognoscit objectum, sub eadem ratione formali cognoscitur objectum ab intellectu. Cognoscere enim & cognosci sunt formalissimè unus actus, e. gr. Johannem esse à me cognitum, formalissimè est idem ac me cognoscere Johannem, solumq̄ve differunt penes voces activam & passivam; sicut idem est Deum producere Angelum, & Angelum produci à Deo, d. me cognoscere Johannem est aliquid reale, sicut me esse album aut nigrum cognitio scil. & albedo mihi unita, Ergo & Johannem cognosci à me, erit aliquid reale, licet non intrinsecum Johanni. Digredi nunc possemus & cætera prosequi, nisi nos Sievogt, Ebelius & alii tenerent dicentes: ad essentiã Entis rationis requiri, possibilitatē aut impossibilitatē existentie realis, quod tn. ut falsum rejicimus. Sufficit enim si objectum non sit, sicuti representatur per actum intellectus, si quidem jam tunc habet esse objectivum tantum in intellectu. His ita rejectis, remanet Ens rationis illud dici, quod habet esse nude objectivum in intellectu, hæc enim definitio completè ac reciprocè explicat naturam Entis rationis: Nullum n. Ens rationis potest dari, quod aliã habeat naturam, nec ullum aliud requisitum necessarium ad Ens rationis.

QVÆST. IV.

An & quas causas habeat Ens rationis?

Variant hic Auctores; nonnulli dicunt Ens rationis habere causam efficientem, d. non habere cæteras causas, & præsertim non habere finalem, quod etiam statuit Svarez. Alii contra, ut Hervæus & Soncinas negant, Ens rationis habere causam efficientē; reliqui concedunt ei omnes quatuor causas suo modo cum proportionem ad Ens reale, probant hoc modo, quia dū intelligitur ab intellectu chimæra aliqua v. gr. compositum ali- quod per se unum ex homine & eq̄vo, illud compositum recipit

cipit

cipit esse intentionale ab intellectu, non minus quam cetera
Entia, quæ intelliguntur, Ergo illa chimæra habet pro causa
efficienti intellectum dantem ipsi illud esse intentionale; neque
aliud intelligunt per causam efficientem Entis rationis, quam
illud, quod dat ipsi esse intentionale, seu quod cognoscit ipsū.
Rursus habet causam finalem, quia intellectus, dum intelligit
ipsum, habet aliquem finem & idem est finis effectus ac effici-
entis; Effectus n. productus ab efficiente ordinatur ab ipso ad
suum finem, aut saltem ab alia causa applicante efficientem ad
productionem effectus. Præterea habet illa chimæra pro causa
materiali illam partem, quæ consideratur ab intellectu, tan-
quam perfectibilis ab alia parte, & pro causa formali alteram
partem, quæ consideratur ut perfectiva alterius partis. Plurib.
vid. Johann. Poncius in Cursu Philosoph. Disput. 1. Logices
quæst. 6. num. 67. De causa finali non dubitamus, ratio est, quia
habent usum. Certum n. intellectum creatum non posse in
rerum cognitionem devenire, satis evitare errores, nisi juvetur
Entibus rationis. Accedit quod causæ efficienti debeat suo
modo correspondere finis. De causa materiali, s. subjectiva
res est intricatior. Cum n. habeat formaliter tantum *esse*
objectivum in ordine ad intellectum, frustra requirer materi-
am aut causam subjectivam. Nisi secundum conceptum for-
malem concipiatur, quo casu subjectabitur in intellectu, quia
est Ens reale; vel secundum objecta, à quibus desumitur, quo
casu erunt ejus materia Entia realia. De formali causa etiam
nullum dubium, cum tantum habeat *esse* objectivum. Nisi
quisquam ejus formam collocet in illa fictione, per quam est
id, quod est. Sed potius dicendum, cum sit ipsa quasi causa for-
malis, per quam denominatur aliquid, frustra per aliam cau-
sam formalem superadditam constituetur. Nos imprimis so-
liciti sumus de causa efficiente, de qua ut status controver-
siæ rectè formetur, notandum quæri, annon detur causa effici-
ens rationis Entium talis, quæ efficiat ea, producendo cogita-
tionem aliquam, ratione cujus Ens rationis dicatur habere
esse objectivum in intellectu. II. Non quæritur de causa effici-
ente

B

ente

ente dante Enti rationis esse præcisè reale', sed dante ipsi ali-
quod esse, quodcunq; tandem sit. Jam dicimus Ens rationis
habere omnino aliquam causam efficientem terminis juxta
substratam materiam explicatis; eaq; est intellectus humanus.
Prius membrum probamus hoc modo: Ens rationis habet a-
quod esse objectivum, quod tamen non habet sèper, quod ergo
esse aliquod, nunc habet, quod antea non habuit, necesse est ut
tribuatur causæ alicui, quæ variationem talem instituit. Po-
sterius membrum facile probari potest ex fecunditate nostri
intellectus, qui plura concipere Ens, ubi non est Ens, divisa, ubi
divisa non sunt, conjuncta, ubi conjuncta non sunt.

QVÆSTIO V.

An intellectus divinus formet Entia rationis?

DEum quævis Entia rationis posse efficere, tam fictitia,
quàm quæ habent fundamentum in re, existimat Johan-
nes Lalemandetius, Ordinis Minorum S. Francisci de Paula,
per Germaniam, Bohemiam, Moraviam Provincialis, Theo-
logiæ ac Philosoph. Publicus & Jubilatus Professor, & ut ma-
jorem huic suæ opinioni auctoritatem conciliet, quoad fictitia
gloriat, hanc esse propriam ejus sententiam, contra omni-
um Philosophorum ac Theologorum consensum commu-
nem. Imo perfectionem intellectus divini dicit, si ei conceda-
mus fabricationem Entium rationis, quod hoc modo probat:
Quod est perfectio in nostro intellectu, est quoque perfectio
in intellectu divino, sed est perfectio in nostro intellectu, quod
faciat Entia rationis. E. Minorem probat, si esset imperfectio
in nostro intellectu, quod faciat Entia rationis, potentiæ sen-
sitivæ, quæ secundum communem doctrinam non faciunt En-
tia rationis, erunt perfectiores nostro intellectu, hoc v. non
est concedendum. E. neq; illud. Quare n. potentia v. gr. audi-
tiva

ti va non faciat Entia rationis, intellectus v. facit? nihil certe aliud responderi potest, nisi quia intellectus est potentia perfectior, quam auditiva. Frigida satis collectio, quæ ea, quæ profertur, facilitate rejici potest. Rodericus de Arriaga (quem Johannes Caramuel lib. 2. Metalogix Princip. 9. fol. 69. inter maximos viros Societatis Jesu numerat, & in ipsius Cursu Philosoph. multa valde ingeniosa & rara dari prædicat.) Disput. 6. Metaphys. sect. 4. num. 45. nodum in scirpo quærit, dum concedit, & quidem rectè, si facere Ens rationis idem est, quod fingere, certum esse, Deum non facere Ens rationis, quia non fingit: Si v. nihil aliud sonet facere, quam dare illi esse cognitum, certum esse à Deo fieri, Nam formare vel facere Ens rationis, nihil aliud esse dicit, quam fingere esse, quod non est. Verum n. verò præsupponit Jesuita in posteriori sensu, quod eadè omnino sint cognosci, & dare esse cognitum, ut & esse objectivè in intellectu, & dare esse objectivè in intellectu, quod falsum, cum hæc ipsa à se invicem distinctissima sint, quod Ebelius Disput. ult. Metaphys. sequenti exemplo ostendit: Quando Magistri postarum & similes mendaciorum propolæ hodie fingunt, e. gr. Regem Polonia à Svecis captum esse, idq; figmentum vel Ens rationis Novellis suis insuunt, quod alii à mendaciis ejusmodi abhorrentes non credunt, sed averfantur, legunt tamen & cognoscunt, certè hi non dant illi figmento esse cognitum, nec faciunt, ut id intellectui alterius objiciatur, sed mēdaces illi, quanquam hi qui legunt, cognoscant, ipsorumque intellectui hoc modo objiciatur. Nos communem sententiam facimus nostram, adeoque statuimus, intellectum divinum Entia rationis ab aliis formata cognoscere quidè, quod perfectionis, summa siquidem perfectio est, cognoscere aliorum errores, non autem ipsa ea formare, aut efficere, quod imperfectionis, imperfectionem involvit, cognoscere rem aliter ac in se est. Quod ut manifestius fiat, notamus Ens rationis duobus modis cognosci; vel ut est formatum ab alia aliqua potentia, quæ cognoscitur ut quod, seu ut terminus cognitus, & ita supponitur existere, & redditur cognitum denominativè, ut quando meus intellectus per-

cipit objectum ab alterius intellectu fabricatum, quæ cogni-
tio non est formativa Entis rationis, sed jam formati cogno-
scitiva, nec cognoscit Ens rationis, ut dependens à suo, sed ut
dependens ab alterius intellectu: vel cognoscitur Ens rationis,
in quantum cognitio directa, quæ id, quod non est, denominat
cognitum ac si esset, formaliter & per se primo format ipsum
Ens rationis, tanquam suum objectum & quasi effectum, adeo
ut hoc cognoscere sit ejus rō esse, & ejus rō esse sit ita cognosci.
Priori modo Deus cognoscit Entia rationis non posteriori, quod
probamus, & quidē quoad prius, quia cum Deus cognoverit no-
stros actus, quibus fingimus ac formamus Entia rationis, oportet
etiam ut cognoscat objecta istorum actuum; quia actus ple-
nè non cognoscuntur, nisi cognoscatur, de quibus sint obje-
ctis II. quia Deus cognovit aliquid esse imperfectè à nobis co-
gnitum, & cognovit illam nostram imperfectionem, non in
modo imperfecto, sed quia Ens rationis à nobis cognitum
est quædā imperfectio, illam si Deus novit, novit Ens rationis ut
à nobis cognitū. Quoad posterius, quia nulla est necessitas, nul-
lus usus, ut Deus formaret Entia rationis. Cui enim bono-
ralis esset formatio? An, quia Deus non potest rem simul &
semel assequi, formabit Entia rationis? verum id est absur-
dum. An ut per fictionem deveniat in rei cognitionem? sed
non opus habet ulla fictione. An, ut Entia veluti non Entia
cognoscat? verum nec hoc est admittendum, cum illa cogno-
scat, ut sunt in sese. An, ut per Entia rationis intellectus facilite-
tur? verum is est perfectissimus, adeo quæ nullo eget adjumento. Ac-
cedit, quod magna imperfectio esset, si Deus formaret entia rati-
onis, sic, ut ex illa formatione resultent; magna enim imperfe-
ctio est, cognoscere id, quod non est ad instar Entis, cum perfe-
ctissimus conceptus penetret res ut sunt, non alio modo, Ergo
in Deo non poterit hoc reperiri, tum quia duo contradictoria
simul essent in mente divina, quia Deus cognosceret rem aliter,
ac est, si faceret Ens rationis, & tamen cognovisset res, ut sunt
in se. Objectionibus plurimis satisfacit Voëtius in Philosophia
Prima Reform. c. 6. p. m. 99. 100. 101.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

An sensus externi faciant Entia non
habentia esse nisi objectivè in
ipsis? Neg.

L Alemādetius, Arriaga & alii affirmant. Svaretz contrā,
Mendoza, Scheiblerus, Slevogt & alii negant, & quidem
rectè. Ad id n. ut formeretur aliquod Ens rationis, requiritur, ut
componantur non componenda; dividatur non dividenda, aut
fingenda, quæ non sunt, tanquam sint; Hoc a. sensus externi
præstare non possunt, si rectè se habent. Nam si quandoque
errant, fit hoc ipsum per defectum in illis, aut per medium il-
legitimum, & nudè passivè, non autem per operationem activā
Ens rationis formant. Quæ Arriaga pro sua sententia urget
refutata vide ap. Voëtium in Philosophia Prima Refor. c. 6. p. 97.
& Slevogt Disput. 6. Acad. p. 130.

QVÆSTIO VII.

An etiam sensus interni faciant Ens
rationis?

DE voluntate itemq; appetitu sensitivo res clara est, quod nõ
formant Entia rationis, & quoad voluntatem patet, quia
ipsi termini repugnant, dñ n. dicitur esse Ens rationis, dicitur re-
sultare ex operatione intellectus, E. non voluntatis. Appeti-
tus v. sensitivus est potentia aliqua cæca, nec occupatur circa
quicquam, nisi quod à sensibus accepit, non enim est poten-
tia aliqua cognoscitiva, sed tantummodo objectum jam co-
gnitum, aut appetit, aut respuit. De Phantasia res est intricati-
or, nos dicimus cum Svarezio, Cómtonio & Scheiblero, Phanta-
siam humanam facere quidem Entia rationis non habentia esse
nisi objectivum in intellectu cum hac tamen restrictione, quod
cum intellectu conjuncta sit. Sed videamus quò tendant Ar-

B 3

riaga,

riaga, Lalemandetius & Franciscus Bonæ Spei, hi ea, quæ de imaginativa humana diximus, etiam ad imaginativam brutorum extendunt; Sed immerito. Quod n. Arriaga dicit de cane è longe vidente columnam s. statuam, quam putat esse hominè aut herum suum; Respondemus, negando consequentiam, quam exinde deducere conatur. Canis n. non concipit columnam s. statuam ad instar hominis, si n. posset secernere in illa distantia inter statuam & hominem, non æstimaret statuam esse hominem, nec etiam canis concipit statuam aut columnam esse hominem, non enim conjungit illa duo prædicata, verùm apprehendit utrumq; adeo confuse, ut non distingvat inter unum & aliud, propter apprehendendi imperfectionem. Neque valet exceptio Arriagæ, hoc ipsum esse formalissimè Ens rationis. Non enim hic canis, ut vult Arriaga, apprehendit identitatem columnæ cum homine; sed quia columnam non cognoverat nisi confuse, fertur in columnam, ac si esset aliud, in quo non est fictio, sed tantum apprehendendi imperfectio, ex quo possit oriri fictio per mentis operationem.

Atque hæc sunt pauxilla ista, quæ de Ente rationis, quanta fieri brevitate potuit, elaborare volui. Quod si hoc primo ingenioli mei specimine non omnia acu tetigerim, facilem mihi apud æquos rerum Judices veniam pollicetur tum juvenus mea, tum ipsa materiæ difficultas. Nonnulli visuri istum ingenii mei fœtum, ridebunt quidem, sed illi, qui istud, quod capiunt minus, carpunt tamen & blaterant, nullius utilitatis ejusmodi esse disquisitiones. Sed

— — — — — Ira cadat naso, rugosaq; sanna.

Sal non Mercurii, sed Momi iste est. Fimeta Scholasticorum si percurrantur, invenientur margaritæ. Id enim in eorum lectione usu venit, quod quondam Virgilio Poëtæ, qui ex stercorebus Ennii aurum colligere solebat, DEO autem ter.

Opt. Max. sit laus & gloria in tempore, & in æternitate nunquam terminanda!

Nosse



Nosse Metaphysicæ secreta est utile multum
Quid, quotuplex Ens & quale, tenere
probè.

Talis cognitio, quæ prima Sophia vocatur,
Est via, quæ monstrat dogmata plura So-
phum,

Quà sine nemo potest dubios dissolvere nodos,
Ingenii & foetus edere ritè sui.

Hoc benè perpendis Michael Christjane, cathe-
dræ

Limina dum scandens Ens quoque mente
libras;

De re subtili subtiles discere causas
Dum placet, hinc studiis gloria magna ve-
nit.

Perge, velut pergis, doctissima scripta Sophorū
Tangere, & assidua volve, revolve manu.

Gratulor, & lætam voveo tibi porro Minervā,
Quæ quondam celebrem te super astra ve-
hat.

*Suo Michaeli Christiano Dalichovio Disputa-
tionis auctori & Respondenti ita gratu-
lari voluit*

JOHANNES Haberlandt /
Sch. Witt. Rect.

Dum

DUm quaesita moves, multis vexata, probata
Multis, ingenium prodis, *AMICE*, Tuum.
Nempe quod Ens detur, quid sit Rationis, an ullam
Agnoscat causam, formet an hocce *DEUS*?
Nam sensus faciant istud, disquisis, utrius?
Quid Tibi sit mentis non sine laude refers.
Haec sunt primitiae, quas Veris tempora promunt,
Quas posthac fruges messis opima dabit!

Ita Optimo Optimi *PARENTIS*, et vobis et
vobis, *HOSPITIS* olim mei Honoratis-
simi, *FILIO*, *DISPUTATIONIS* hujus
AUCTORI & *FAUTORI* suo singulariter
solendo adplaudere volebat, debebat

M. JOHANNES Peißker/
Langenbergâ-Variscus.



Collidiss. A. 178, misc. 16